

*talmut que transtulit frater Theobaldus superior ordinis predicatorum parisiensis. Et finit: quod fere submerserat XII. exploratores. Confer, quae de hoc Tractatu diximus ad Codd. in Indice notatos.*

IX. fol. 164. p. 2. *Tractatus Paschalis de roma contra iudeos. Praemittuntur sequentia: Paschalis de roma hoc opusculum disputationis iudeorum contra sanctum anastasium abbatem ad honorem venerabilis patriarche gradensis beinrici dandoli fideliter ac devote transtulit. Anno domini M. C. LVIII. Henricus hic fedidit ab an. 1130. usque ad an. 1186. De Paschali non habeo, quod dicam. Anastasi, quem Abbatem S. Euthymii in Palaestina Job. Damasceno συγγεγονν fuisse censent, opus mutilum e Canisii antiq. Leß. T. III. in T. XIII. Bibl. PP. Lugd. ad p. 333. transtulit, interprete Franc. Turriano. Quod in Cod. nostro habetur non nisi ejus επιτομην dicas, licet non parum etiam cum graeca Disputatione, quae sub Athanasii Alex. nomine ms. in Bibl. Aug. extat et a Lambeccio L. V. p. 135. indicatur, congruat. Et quid, si Athanasius natus ex Anastasio, aut vice versa? Initium nobis: Interrogavit Judeus. Cum preceperit deus ligna non esse adoranda. quare christiani ea colitis et adoratis facientes ex illis cruces et ymagines. Christianus dixit &c. Finis: baptizati sunt christum verum deum et hominem confitentes cui gloria &c.*

X. fol. 170. p. 2. *Incipit tractatus Ieronimi de incarnatione domini contra iudeos. Et rursus: Incipiunt capitula primi libri de eterna et temporali christi natiuitate. quem edidit beatus ieronimus ad confutandam Judeorum ceterorumque impiorum perfidiam. et ad corroborandam fidem christianam. Initium: Inpij iudei prophetis dei increduli &c. In medio rubrica: Huc usque de eterna christi natiuitate dictum est. deinceps de temporali. Finis: et in templum proiecit et laqueo se suspendit. Mera textuum biblicorum congeries adjectis breviter expositionibus, quarum ut multae Hieronymi sint, alias tamen ex aliis Patribus ignotus Compilerator depromsit.*

CCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. 55 XV. Folior. 238. f. peritissima manu scriptus, frontibusque et literis initialibus non inferiore penicillo deauratis et depictis iussu et sumtibus Matthiae Corvini Hung. Reg. continet I. Commentaria Hieronymi super Matthaicum. Fol. 1. p. 2. in sermo omnibus Florae Pomonaequae copiis diuinitate caractere aureo quadrato legitur: *In hoc Volumine haec continentur. Dious Hieronymus in Mattheum in Marcum in Ecclesiasten item quaedam alia Opuscula. Ora. fol. seq. ornata est Icone Servatoris, quatuor Evangelistarum et ipsius Regis Μωϋϋϋϋϋϋ, tum Insignibus illius et speciatim Corvo, praefertque hunc titulum:*

In-

*Incipit Praefatio Sancti Hieronymi Presbyteri in Expositionem Evangelii secundum Mattheum.* Visitur ab hoc Titulo ipse S. Doctor scribendo occupatus. Exemplar mendis non caret, ut ex collatione liquidum fit. Habentur vero haec Commentaria in *Edit. Vallars. Opp. Hier. T. VII. p. I.*

II. fol. 120. succedit *Commentarius in Evangelium secundum Marcum*, cujus Praefatio incipit: *Omnis scriba doctus in regno celorum &c.* Ad calcem haec verba: *Hunc libellum. breuiter comprehensum. qui imitando perscrutauerit. regna ei patebunt eterna. Lege ergo. et imitare assidue.* abfunt ab exemplaribus impressis. Commentarius hic *Hieronymo* suppositus, ut multis doctorum Virorum testimoniis ostendit *Oudinus T. I. col. 844. prostat Edit. supracit. T. XI. p. 783.*

III. 147. p. 2. sequitur *Hieronymi Commentarius in Ecclestaften* marginibus ab arte pictoria plurimum commendandis. Praefationis exordium est: *Memini me ante hoc ferme quinquennium &c.* Finis operis: *Ve quippe his qui dicunt malum bonum et bonum malum.* Legitur hic Commentarius *Edit. supracit. T. III. p. 381.* Adfutae nobis sunt sequentes duae particulae: *Illa enim alterius ordinis atque mensura est. et singulis habet magnam diuersitatem tantumque inferior templi quo nunc extenditur ezechieli. ut non solum cultores eius editui. sed ipse fabricator eius salomon peccauerit.*

*et offenderit deum licet postea totis medullis cordis egerit penitentiam. Scribens in prouerbis. in quibus ipse ait. Nouissime egi penitentiam et respexi. ut eligerem disciplinam. Et: Salomon ille admirabilis qui meruit assistrici dei hoc est sapientie dei copulari. in alienarum incurrit amplexus. et uinculis libidinis laqueatus. etiam sacrilegii crimine se polluit. quia chamos moabiticum. Ydola fabricauit. Sed quia prophetica uoce culpae erroris agnouit. nunquam celestis misericordiae est separatus.*

IV. fol. 206. litera aurea quadrata *Incipit Prologus Sancti Hieronymi Praesbiteri de Infantia Salvatoris.* Prologus hic spuria illa epistola est ad *Chromatium et Heliodorum episcopos* praefixa alias apocryphae Narrationi de *Natiuitate Sanctae Mariae*, incipitque: *Qui terram auri consciam fodit &c.* et legitur cum *Edit. supracit. T. XI. p. 279.* tum *J. Alb. Fabricii Cod. Apocr. N. T. p. 8.* hic vero avulsa ab illo corpore, et alteri non minus monstroso imposita est. Sequuntur enim *Capitibus XXI.* Prodigia Puero Iesu adtributa non minus absurda, quam ea, quae in *Cotelerii et Sikii* fragmentis apud laudatum *Fabricium* habentur, neque tamen prorsus eadem, siue rem, siue dictionem spectes. *Caput I.* sic orditur: *Una die admonitus est Ioseph ab angelo domini et dixit illi tolle mariam et infantem. et per uiam heremi perge et uade in egiptum &c.* *Ultimum sic: Cum autem conueniret Jo. ad*

conuiuium cum *Jacobo et Iohanne. et Iuda et Simone et duabus filiabus suis* &c. Inter Codd. *Christinae Suecae* Bibliothecae Vaticanae illatos apud *Montfauconium* N. 1332. inuenio Librum de *Infantia Iesu Christi*, qui noſterne fit, dicere non habeo. Eſt uero noſter ille, quem ex *Laurentiana* excitat T. I. *Codd. lat.* p. 523. *Bandinius*, hocque epiphonemate proſequitur: *Hunc Librum minime reperimus neque inter Opera edit. cit. neque in Cod. Apocr. N. T. a J. Alb. Fabricio edito.* Typis tamen jam etiam prodiſſe teſtatur *Catalogus ſplendidiffimae Bibliothecae Ducis Vallerii* T. I. p. 201. ubi legitur: *Libellus de infantia Saluatoris a Beato Hieronymo translatus.* 4. Circa an. 1475. excuſum autumat *Catalogi digeſtor Deburius*, ſuadetque *αὐτοψία* in *Bibl. Caef.*

V. fol. 215. accedunt, ut ex *Indiculo fol. 121.* ſubjecto diſcimus: *Uita beate marie ſecundum Epiſhanium. Uita beate uirginis marie ſecundum Hieronymum. Epiſtola ſancti ignatii ad glorioſam uirginem mariam chriſti matrem. Epiſtola beate marie uirginis ad ſanctum ignatium. Epiſtola ſancti ignatii ad ſanctum iohannem euangeliftam ſuum magiſtrum. Epiſtola ſancti ignatii ad ſanctum iohannem euangeliftam. Exemplum epiſtole quam miſit rex abagarus chriſto. Et reſponſio chriſti ad eum per euſdem epiſtolam. et hiſtoria de ſudario. Vita prior incipit: De dominabili et ueraci dei genitrice &c. Altera: Hanc ſibi regulam beata ma-*

*ria* &c. Breuis utraque et nugatoria. De ſuppoſitio *Commercio epiſtolico Mariae et Ignatii* adi laudatum ſaepe *Fabricium* T. I. P. 2. p. 833. *Suppoſitae* quoque ſunt *Ignatii ad Iohannem* epiſtolae, extantque tantum latine, genuinis tamen in pluribus editionibus, puta *Voffiana Amſt.* 1646. 4. *Ittigiana Lips.* 1699. 8. *Coteleriana PP. Apoſt. Antwerp.* T. II. 1698. f. ſubnectuntur. De *Epiſtolis demum amoebaeis Abgari et Chriſti*, quarum *Exemplar* etiam graecum ex *Aug. Bibliotheca* protulit *Lambeckius* L. V. p. 9. edit *Kollar. col. 24.* conferri poſſunt *Guil. Caveus Hiſt. liter. Sec. I. J. Ern. Grabiſus Spicil. SS. PP. T. I. p. 1. et 313. Seb. Tillemontius Mem. pour ſeruir a l'Hiſt. de l'Egliſe* T. I. *Fabricius Cod. Apocr. N. T. P. I. p. 317. III. p. 516.* expendique, quibus argumentis earum *γνησιότητά* uentilent *Viri doctiſſimi. Narratiunculas*, quae in noſtro *Codice* eas antecedunt et conſequentur, ex *Euſebio* et ſequioribus *Hiſt. Byzant.* *Scriptoribus* homo quidam recentior conſarcinavit.

VI. fol. 222. *Codicem* claudit *Diſputatio Abutalib ſaraceni* (ita *Tabula fol. 238. p. 2.*) et *Samuelis Iudei* (*Judei*) *que ſides precellit. an chriſtianorum, uel ſaracenorum uel iudeorum. translata per fratrem alfonſum de arabico in latinum.* *Concertatio* haec epiſtolis VII. definitur, quarum IV. *Saracenus Septae* exarat, III. *Judaeus Toletus* reddit. *Ultima Abu-*

Abutalibus victas dat veritati christianae manus. Interpres *Alphonsus Bonibominis* s. *Buenbombre* O. P. Sec. XIV. Scriptor, de quo adi *Quetifum et Echardum* T. I. p. 594. et aliud Samuelis Opusculum inscriptum: *Epistola Rabbi Samuelis Israelitae ad Rabbi Isaac*, latine vertit, quod et manu scriptum in Bibliothecis passim obversatur, et ab ipsis Typographiae cunabulis prela frequenter fatigavit, sed nostrum nonnisi in *Catal. Msptor. Angl. et Hib.* T. II. p. 250. citari video. Quod enim Disputationem Samuelis Marochii cum Abutalibo habitam, quam ex *Nic. Antonii Bibl. Hisp. Vet.* tanquam in Bibliotheca Scorialensi existentem excitat *Wolfius Bibl. Hebr.* I. p. 1099. adtinet, eam et in *Mich. Casirii Bibl. Arabicosp.* frustra indagavi, et a Commercio nostro epistolico diversam esse debere liquet. Ob magnam itaque hujus raritatem Traductoris Praefamen integrum Lectoribus hic offerendum duxi. *Ego Frater Alphonsus hispanus libellum hunc antiquissimum. qui nuper casu deuenit ad manus meas cum essem apud marrochium in captiuitate sarracorum. et fuerat prius multis temporibus a iudeis occultatus, noua translatione de arabico in latinum per me interpretatum uobis transmittito legendum maxime propter arabicarum peritiam literarum, quia in eis ipsi arabi iudeis christianisque sibi notis scribunt confidenter secreta sua, que ab aliis uolunt occultari. Ideo ut cogito be-*

*breus huius libri scriptor, non ipsum alio sermone nisi arabico enodauit. quum terminus sequentis disputationis pro responsione sarraceni a conclusione fidei christianitatis non deue — — Ego dictus frater Alphonsus adiuratus per deum auctoritates biblie inductas infra per dictum hebreum in transferendo librum istum, scribam sicut ipse scripsit fideliter, licet non sic habeant in nostra translatione secundum hieronimum. et hoc ideo intendo facere, ne aliquis imponat mihi quod aliquid in textu presumpserim addere uel diminueré aut mutare sicut feci in alio uolumine istius hebrei (in Epistola scilicet ad R. Isaac) in quo nil mutatur de scriptura sua. Quare super hoc sunt et erunt mihi testes omnes qui arabicum sciunt, quorum modum loquendi, et ordinem scribendi quantum mihi fuerit possibile obseruabo. Hucusque Interpres. Non desunt tamen, quibus in utroque ejus Opusculo pia fraus subolet. Codex noster hac clausula explicit: *Scriptum hoc opus per me Sigismundum de Sigismundis comitem Palatinum Ferrariensem: anno domini MCCCCLXXXVIII. mensis octobris die XVIII.**

CCXLVIII. VI. D. 74

Codex chartaceus lat. Sec. <sup>224</sup> XV. Folior. 232. f. a fol. 25. nitidissime perscriptus continet: I. *Hieronimi et Aliorum ad Hieronymum Epistolas* XCVIII. non tamen genuinas omnes, ut subiecta